& densi undiquaque penetrati; cœlo enim rarefacto necessarium erat omnia *contenta* ejus quoque rarefieri, & juxta diversam gravitatem in diversam quoque situationem ferri. Ex hoc ergo progressu subsecutum fuit, quod Elementis invicem aditus fieret, quo in se agere, seque miscere possent. Et hæc operatio est primum fundamentum universalis productionis & mixtionis. *Alter effectus* hujus rarefactionis angelicæ erat, quod ob *nimiam* cœli raritatem in isto *loco*, ubi ab Angelo movebatur, *aër* quo-
N. que plus rarefieret, rarefaciendo impelleretur, ac impulsus *ventos* præberet: unde
9. motus aëris in *aquam*, jam quoque certis gradibus raram: aquæ vero ingressus in dilatam & raram *terram* dabatur. Ex quibus omnibus aëris cum aqua, & aquæ cum terra prima mixtio & confusio sequebatur. *Tertius* hujus rarefactionis angelicæ *effe-*
N. *ctus* est, quod *eo loco*, ubi ab Angelo directa motio fiebat, rarefactio fortior esset, ita ut
10. aquas dissiparet, globusque terr-aqueus eo loco *levior* redderetur: unde gravior ejusdem pars se gradatim eo convertit, hinc globi terr-aquei conversio & *motus nocturnus & diurnus*, de quo postea. Quoniam vero particulæ *terreæ*, quæ simul cum aqua elevabantur, & rarefiebant, fortissime a primo motore agitabantur, *ignem* tandem concipere cœperunt, quem S. textus primam *lucem* vocat. Quæ primum eo loco apparuit, quo fortissima rarefactio contingebat, nempe ubi directa motio ab Angelo fiebat, & ubi ex consequenti, forti rarefactione, magna pars aquæ ac terræ elevata, globum terr-aqueum directe infra lucem ea sui parte *leviorem* reddidit; Globus ergo terr-aqueus jam pondere suo inæqualis sensim se ad lucem *convertere* incœpit, ex qua conversione prima *dies & nox* orta est. Hæc enim globi pars, quæ directe infra *lucem* stabat, ab eadem illustrabatur, quæ illustratio *dies* vocatur; altera autem globi pars e diametro prioris a luce remota, *noctem* patiebatur, id est, non illustrabatur a luce. In una ergo globi terr-aquei parte dies, in altera nox erat, quod S. textus expressit, cum inquit: *fiat lux, & facta est lux, & divisit lucem a tenebris, appellavitque lucem diem, & tenebras noctem, factumque est vespere & mane dies unus, &c.* unaquæque enim globi *conversio* diem & noctem constituebat; licet hi primordiales dies nostris modernis longe *majores* & longiores exstiterint, ob *tardiorem* globi conversionem, quæ propter majorem ejusdem *molem* contingebat: quod in eo omnia adhuc sidera & meteora,
N. materialiter nempe & ante productionem adhuc continerentur. Ex quibus prædi-
11. ctis sequitur, *mixtionem* aëris, aquæ & terræ primum productionis gradum, *lucis* vero manifestationem ejusdem secundum fuisse. Unde *ignis* a reliquis tribus Elementis differt, quod illa creata sunt, ignis vero *productus*, & non creatum, sed productitium tantum Elementum nuncupandum sit. Jam *quartus* angelicæ rarefactionis effectus
N. sequitur, *firmamenti* nempe productio. Consequens enim & naturale erat, per ma-
12. gnam istam rarefactionem, & per istum jam excitatum ingentissimum ignem, maximam quoque molem *aquarum* elevari & sursum ferri; & quoniam ista attractione, aquarumque elevatione, ipsæ elevatæ aquæ subtiliores reddebantur, quod a terreis partibus magis abstraherentur: duo necessum erat consequi, primo quod per præfa-

tam